



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 21. Consultatio L. Advocatorum Parisiensium super sententia
Embrodunensis Synodi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

legeretur, adjuncto mandato, ut sese Sæc. XVIII.
 eidem ore & animo submitteret; si A.C. 1727.
 vero id renueret, tunc demum Ca-
 nonum severitate plectendus tamdiu
 carceri manciparetur, donec abjecta
 pertinacia plenam submissionem exhi-
 buerit. Quantum vero Courayerus ab
 illa docilitate, quam de eo Abbas spe-
 raverat, alienus fuerit, paulopost re-
 censebimus.

§. XXI.

*Consultatio L. Advocatorum Pari-
 siensium super sententia Embro-
 dunensis Concilii.*

Sententia in Sanitiensem pronuntiata
 Synodo finis imponebatur, non
 item tamen controversiæ; Quesnellistæ
 enim, ut lethale vulnus suæ factioni
 inflictum repararent, consilium, quod
 desperatio suggererat, suscipere: Sup-
 petias quippe emendicarunt a Parisiensis
 Parlamenti Caussidicis, quamvis eorum
 auctoritas & iudicium in decidendis fidei
 quæstionibus infirmum, imo omnino
 nullum esset: Ex his tamen exsurgunt
 quinquaginta, qui congesta integra le-
 gum strue sententiam Synodi impug-
 nare aggrediuntur, hancque in rem
 sine Auctorum nomine, sine typi loco
 in vulgus consultationem spargunt, in

Sæc. XVIII. qua omnes factionis Jansenianæ errores & calumnias accumularunt, Præprimis igitur Embrodunensis Synodi iudicium fuisse nullum propugnabant, & quidem I. quia legitima juris forma non fuit servata, II. quia Tribunal non fuit competens, III. quia nullum inveniebatur *corpus*, ut aiebant, *delicti*, seu crimen, quod Episcopo Sanitiensi iure imputari posset. Verum cuncta eorum fundamenta seu potius figmenta ad extremas usque fæces detexit celeberrimus Quesnelistarum malleus, P. Honoratus a S. Maria Carmelita excalceatus, qui observationibus in eorum consultationem Namurci editis demonstratum ibat, hosce Advocatos fallis inniti principiis, confictisque relationibus, eosque in Theologiæ Dogmaticæ Regno peregrinos propriis armis sese conficere: Præter hunc Scriptorem insuper Normandus Ebroicensis Episcopus Parisiis doctam non minus quam solidam vulgavit lucubrationem, in qua exacte in ipsos etiam fontes inquisivit, ex quibus quinquaginta hi *Causidici* sua, quæ in hanc Synodum evomere, venena hauserant; postea illis luculenter demonstrabat, eos vel nullam legum, decretorum, atque exemplorum, quæ allegassent, cognitionem habuisse, quod erat crassissimæ igno-

ignorantiæ, vel omnes textus, quos ^{Sæc. XVIII.} adduxissent, truncasse, adulterasse, vel ^{A. C. 1727.} omnino confinxisse, quod erat pudendæ prorsus perfidiæ. Porro hanc Ebroicensis Episcopi confutationem Quesnellistæ, cum non haberent, quod opponerent, omnino intactam reliquere.

Publicam horum Quesnellistarum temeritatem Franciæ Rex publicæ etiam auctoritatis severitate plectendam censuit, ac propterea Episcopos tum Parisiis agentes iussit, ut Conventu habito sententiam in hanc Advocatorum consultationem pronuntiarent. Hi ergo re maturius ponderata tandem die quarta Maji anni sequentis suum ut vocant, *doctrinale* iudicium protulere, illudque Regi exhibuerunt; hoc tenore: *Hi Advocati in rebus maximi momenti turpiter hallucinati sunt, & circa Ecclesiam, Concilia, Pontificem, Episcopos, eorum auctoritatem & iudicandi formam, Bullam UNIGENITUS, appellationem ad futurum Concilium, necnon circa formularii subscriptionem principia, & propositiones temerarias, falsas, ad schisma tendentes, potissimam partem ab Ecclesia damnatas, sacræ Sedi injuriosas, Hierarchice eversivas, de hæresi suspectas imo & hæreticas protulerunt, insinuarunt, & adoptarunt.* His etiam iidem Episcopi addebant, quod *quingenta*

hi

Sæc. XVIII. *hi Advocati Embrodunensem Synodum te-*
A. C. 1727 merarie, & injuste aggressi fuerint, non
sine præjudicio auctoritatis Regiæ, & re-
verentiæ pluribus Episcopis, ac Pontifici
debitæ. Hoc judicium viginti sex par-
tim Cardinales, partim Archiepiscopi
aut Episcopi, præter alios quinque
paulopost Infulis decoratos suo chiro-
grapho firmarunt: Rex vero die tertia
Julii eodem anno ipsam Consultatio-
nem promeritis censuris perstrictam
publico Senatus sui edicto suppressit:
Hujus quoque exemplo animati ceteri
Præsules idem quoque scriptum, di-
vulgatis epistolis Pastoralibus pro-
scripsere.

§. XXII.

Eadem Consultatio a summo Pontifice
damnata.

Haud levi dolore Pontificis animum
 affecerat Advocatorum Parisien-
 sium petulantia, qua Synodi Aposto-
 lica approbatione firmatæ auctoritatem
 infringere, & desperatæ causæ patro-
 cinium in se suscipere moliebantur.
 Hanc ob rem eorum consultationem
 sancti Officii Patribus discutiendam
 tradidit, ad quorum relationem ipse
 die nona Junii Constitutionem edidit,
 in qua hoc scriptum ejusque Auctores
 diris